



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

VIRIS  
GENEROSISSIMIS, ANTIQVI-  
TATE GENERIS, NOBILITATE, LON-  
GOQUE RERUM METALLICARUM ÆQUE AC O-  
MNIUM SCIENTIARUM USU ET EXPERIENTIA  
SPECTATISSIMIS DOMINIS,

DN. ABRAHAMO

à Schönberg/

SERENISS. ELECT. SAXON. A  
CONSILIIS, ÆRARI, REIQUE ME-  
TALLICÆ, AC QUÆSTURARUM FREI-  
BERGÆ ET GRILLENBURG

PRÆFECTO GRAVISSIMO,

NEC NON

DN. ADAMO FRI-

DERICO à Schönberg/

Hæreditario in Wisingendorff / Wiesebor-  
nichen / Ober-Schöna und Wänchen/

Patronis, Fautoribus, humili subiectione, omni  
honoris & observantiæ cultu & vultu æta-  
tem devenerandis

Salutem

&

officia paratissima

cum

omnigena felicitate.



**P**Ræci, *Viri Generosissimi*, observatu dignum consvère, quando quis opus aliquod luci exponere animum haberet: *frontispicium ut præprimis apponat opere incipiente præfulgidum*: Operi jam præsentì Generosissimi Viri tale frontispicium præponendum necessitatis censeo: Jo. Pierii Valeriani de Hieroglyphicis Ægyptiacis Operi, Materia utilis admodum jucunda pariter ac necessaria, specialibus artibus & scientiis, addictis Theologiæ nempe, Eloquentiæ, Poëticæ, &c. cultoribus, ac universalibus Doctrinis. Quod licet hæctenus variæ editiones visæ sunt, partimque in Germania, Colonis, Franckfurto, Basiliæ, &c. partim extra Germaniam, Romæ, in Gallia &c. sæpius typis descriptæ, adeò avidè tamen susceptæ fuère, ut exemplaria brevi temporis spatio non solum omninò sint distracta, sed & undique crebrò perquirantur, & nova editio sollicitè urgeatur. Ideoque perquirentibus, & sollicitantibus diutiùs deesse nolui, hancque editionem non modò auctiorem, sed & insuper cum Effigie ipsius Autoris Jo. Pierii Valeriani, quâ cæteræ editiones careant, cum versiculis quibusdam è Museo Historico Joan. Imperial. depromptis adornari operam dedi, nihilque, quod ad operis hujus limatissimi perfectionem aliquid conferre potuit, licet non sine sumptibus, procurare intermisi. Idcirco Ex consilio Viror. quorund. Clarissim. emptorumque cupiditate motus, sumptus non parvos, de novo hocce locupletissimo opere edendo impendere, & recudi curare, sine dubio, desiderium emporum tam avidorum adimplebit. Præsertim cum propter bellum jam ubique ingruens bibliis Ariæmontani edendis remora injecta est, antequam videam, quorsum tempora hæcce graviora prorsus ruinam minantia, declinent, quæ editio jam præter impensos non leves adhuc suscipiendos requirit sumtus. Frontispicium igitur *Viri Generosiss.* clarius, nobilius, generosius & adeò præfulgidum nullum huic operi invenire potui, quàm ut Nomina V. perstrenua præscribam. Permittite igitur Viri Gener. ut Strenuitatis vestræ Fulgor, has operas illustret, & Nomina Vestra, quorum splendor ubique veneratur, huic Operi præfixa frontispicium ejus reddant præfulgidum. Accipite hoc in devinctissimæ gratitudinis beneficiorum favorisque memoriam, sereno vultu, humilissimè rogans, ut diutiùs vester in me accedat favor, cujus, annis abhinc retrò aliquot, indicia maxima in me collocastis, quodque ad momentum hoc usque expertus sum hæctenus, & non possum non reponere reciprocum; tamen hoc ulteriori favore fretus, confido, hanc meam gratitudinem benevolo animo ac mente iri susceptam, D.O.M. beneficiorum in me uberrimè translatorum largus sit remunerator, faxit, ut Nominis & familiæ nobilissimæ incrementa plus ultra excurrant, Vobisque, *Viri Generosissimi*, Me Debitorem humilissimum ulterius commendatum habeatis. Vivite, florete, vigete.

**Generosissimarum Vestrarum**  
maximeque strenuarum  
Dignitatum

Datum Lipsiæ. Pr. Kal. Mart.  
1678.

Observantissimus

C. KIRCHNER.